

Q CL. VIRI | AUGUSTI BUCHNERI | EPISTO- | LARUM | PARTES TRES; | Qvarum
| TERTIA JAM PRIMUM AD- | SPICIT LUMEN. | SINGULIS EPISTOLIS AR-
GUMENTA | SUA PERSPICUIS | ac concinnis verbis præposita sunt, & totum |
opus à mendis purgatum prioribus, | opera | M. JOH. JACOBI STÜBELII, | Illustris Afr.
Misen. Rectoris. | Cujus etiam Præfatio de Scriptoribus | variis Epistolarum præmissa.
| Adjecti sunt valdè necessarii atque utilissimi | Indices. | CUM PRIVILEG. S. CÆ-
SAR. MAJEST. | POTENTISS. REGIS POLON. ET | ELECT. SAXON. | [Linie] |
FRANCOF. ET LIPSIAE, | Apud MARTINUM GABRIELEM HÜBNERUM. |
Typis IOH. HEINRICI RICHTERI. | ANNO M. DCC. VII. 8°. III, 662-664, Nr.
VIII (HAB Li 1022). Zit. Bu 1707. — Als weitere Überlieferungen wurden berück-
sichtigt: *Buchner 1708*, 19-21, Nr. VIII (zit. Bu 1708; SuStB Augsburg; NL 1002),
Buchner 1720, III, 663-665, Nr. IX (zit. Bu 1720; HAB Li 1023).

A. Fehlt.

Statii^a MSti usuram diutiùs concedit. Opitii Poëticam adhuc retinet; in quâ, quid severiùs præcipiatur, monet. Tum Principes Anhaltinos recenset. Mittit etiam carmina in eque-
stribus ludis nuptialibus edita. Suas juxtâ equestres victorias lepidè jactat.

[663] Literæ tuæ XXX. Maji exaratæ ipso Pentecostes die² mihi redditæ sunt. Utinam verò te ita onerare possem beneficiis, ut tu me officiis. Statii MSto³ ultra præscriptum tempus tibi uti si libet, licet. Tuus foret totus tam κτήσῃ quam χορήσῃ⁴, si meus esset. Celeberrimi Opitii Poëticam⁵ proptereâ tibi remittere differo, quod Illustrissimo Principi LUDOVICO Anhaltino, ex Hollandiâ propediem reduci,⁶ eam priùs exhibere constitui. Nec enim à bibliopolis Lipsiensibus⁷ hactenus ejus exemplar unum atque alterum obtinere potui. Nobilissimus Tassi translator Werderus⁸ mecum eam perlegit. Opus ipsum præclarum, laborem utilissimum judicavimus: Sed regulas nonnullas deprehendimus exactiores, quàm ut in eas impingere quandoque vel ipsi Opitio non potuerit contingere. Quocirca uterque sæpiusculè optavimus, vel trium saltem horarum spatio, si ampliùs non liceret, ut tecum & cum præstantissimo Opitio simul colloqui daretur: sed quando licebit nobis esse tam beatis? Illustrissimorum Principum Anhaltinorum nominum ordinem & honoris vocabula, quæ à me postulat,⁹ nisi ea jam tum ab Illustrissimi Principis Domini Georgii Rudolphi, Ducis Lignicensis, Domini sui¹⁰ & mei Clementissimi, Secretariis, uti facilè potuit, obtinuit, sunt ista: Christianus Senior, Augustus Ludovicus, Johannes Casimirus. Illi Fratres, hic eorum ex fratre natu majore, nepos¹¹. Prætereâ Christianus II. Senioris aut I. filius;¹² Omnes Principes Anhaltini, Comites Ascaniæ, Domini Servestæ & Bernburgi. Ex illis¹³ Princeps Ludovicus solus est poëticæ, inprimis Germanicæ Amator, Promotor, Judex; ac proptereâ meo judicio dedicatione istâ¹³ præ cæteris solus dignus. Reliqui Admiratores saltem. Liber Odarum ipsius,¹⁴ ut [664] omnia, quæ ab ipsius incomparabili ingeniò promanant, gratissimus mihi erit: sed nomen ipsius Opitii jamtum nusquam non celeberrimum, meo longè meliùs isti operi patrociniabitur. Pro transmissio carmine D. Martini¹⁵ recipies duo exemplaria carminum, quæ in ludis equestribus Vinariæ¹⁶ nuper, in nuptiis principalibus habitis,¹⁷ sparsa sunt. Quorum unum Clarissimo Opitio,